



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 Ad quid sint cæremoniæ Baptismi institutæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

QVÆSTIO LXXI.

De preparatoris, quæ simul concurrunt cum baptismo, in quatuor articulos diuisa.



Inde considerandum est de preparatoris, quæ simul concurrunt cum baptismo. Et circa hoc quaruntur quatuor. Primo, utrum catechismus debeat precedere baptismum.

Secundo, utrum baptismum debeat precedere exorcismus. Tertia, utrum ea, quæ aguntur in catechismo & exorcismo, aliquid efficiant, vel solum significant. Quarto, utrum baptisandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.

DISPUTATIO XXX.

De ritu ac circumstantiis, seu ceremoniis in solemnitate baptismi obseruandis.



Quam dictum est de essentia & omnibus causis, ac effectibus baptismi, superest, ut de ceremoniis, quæ sunt veluti accidentia, siue proprietates eius, pauca dicamus. Supponimus autem, baptismum in Ecclesia duobus modis celebrari posse: primo, priuatim & absque speciali solemnitate: & tunc nullum speciale ritum requirit præter eas, quæ sunt de essentia: quia, ut sæpe dictum est, in quouis loco, quouis tempore, à quacunque persona ministrari potest, dummodo necessitas id requirat. Secundo datur baptismum publice & solemniter, ad iunctis quibusdam ceremoniis ab Ecclesia institutis: quarum antiquitas & ratio explicanda à nobis est. Et has ceremonias vocat hic Diu. Thomas preparatorias ad baptismum: quas dicit simul cum illo concurrere, non quia omnino eodem tempore fiant: quædam enim antecedunt, alia comitantur, alia vero baptismum consequuntur: tamen, quia proxime ad illum ordinantur: moraliter dicuntur simul cum illo fieri. Quoniam vero D. Thom. solum de quibusdam ex his ritibus in particulari dissentit, visum est, nonnulla prius in communi præmittere, ut res tota melius & copiosius comprehendatur.

SECTIO I.

Quibus de causis, seu ad quos effectus instituta sint ceremonia baptismi.

Ubi hæretici omnes Ecclesiæ ceremonias generatim contemnant, multo tamen magis has irridunt, quas in baptismo seruat Ecclesia: maxime propter earum multitudinem, quæ videtur valde onerosa & inutilis: & specialiter, quia quædam earum videntur nimis superstitiosæ: & non solum inutiles, verum etiam contemptibiles, ut sunt gustus salis, tactus narium & aurium, salua. Addeunt in primitiua Ecclesia simplici modo, absque huiusmodi obseruationibus datum esse baptismum, nam quocumque tempore & loco, in fluminibus & fontibus, baptizabantur credentes, ut ex Actor. 8. & 16. colligi potest, & V. Alfredus, tractat V. Valfredus. Strabo libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 26.

Dicendum vero est, conuenientissimum fuisse, ut baptismus solemniter aliquo ritu in Ecclesia tradetur. Hæc conclusio est de fide: ad quam confirmationem sufficit Ecclesiæ authoritas, vsus, perpetuaque traditio, de qua statim in particulari plura afferemus. Videri etiam possunt supra tractata disputat. 15. sect. 2. ubi in genere rationes sacramentalium rituum indicauimus. Nunc solum explicanda sunt causæ, ob quas hic vsus ceremoniarum magis quodammodo in baptismo, quam in aliis sacramentis obseruatus & auctus est:

ut ad implendum in data legis quod etiam aliquando in huiusmodi sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum: quia in maiori gratia potest resistere cuiuslibet concupiscentia, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti. Et ideo dicendum est, quod in circumcissione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratiæ effectus: aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfecta. * In circumcissione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcissionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcissio: ita scilicet, quod homo, qui accipiebat circumcissionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel a dultis pro se, vel alius pro parantibus. Vnde & Apostolus dicit Roman. 4. quod Abraham accepit signum circumcissionis, signaculum iustitiæ fidei: quia scilicet iustitia erat ex fide signifiata, non ex circumcissione significante. Et quia baptismus operatur instrumentum aliter & virtute passionis Christi, non autem circumcissio: ideo baptismus imprimere characterem: incorporat enim hominem Christo & copiosorem gratiam confert, quam circumcissio, maior enim est effectus rei iam presentis quam spei.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si ex circumcissione esset iustitia aliter, quam per fidem passionis Christi.

Ad secundum dicendum, quod sicut ante institutionem circumcissionis, sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam & circumcissione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum profectuum huius fidei: quia nondum homines fideles, seorsum ab infidelibus ceperant aduenari ad cultum vniuersi Dei. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo fundarent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant.

Ad tertium dicendum, quod populus in deserto prætermittens mandatum circumcissionis, excusabatur: tum quia necessitatem, quando castra mouenda erant: tum quia (ut Damascenus dicit) non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab aliis populis habitabant. Et tamen, ut Augustinus dicit, inobedientiam incurrerant, qui ex contemptu prætermittabant. Videtur tamen, quod nulli in circumcissione mortui fuerint in deserto, quia, ut in Psal. 104. dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus, sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Aegypto circumcisi. Si tamen aliqui in circumcissione mortui sunt, eadem ratio est de his, ut de his, qui moriebantur ante circumcissionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octauam diem tempore legis.

Ad quartum dicendum, quod in circumcissione auferebatur originale peccatum ex parte personæ: remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum celorum ex parte totius nature, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed & circumcissio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad quintum dicendum, quod adulti, quando circumcidebantur, consequerentur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamen ita, quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

Materia huius articuli fuisse satis tractata est supra in materia de sacramentis in genere, circa litteram autem D. Thomæ nihil necesse est addere, præter ea, quæ in præcedentibus dicta sunt.

V. Alfredus, tractat V. Valfredus. Strabo libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 26. Conueniens fuit baptismum in Ecclesia solemniter aliquo ritu celebrari.



ctus est: plures enim ceremoniarum in hoc sacramento ministrando, quam in ceteris obseruantur. Possunt autem in hac causa ad 4. ca. reduci: quae sunt instructio, significatio, efficacia, ornatus seu decencia aut reuerentia Sacramenti. Primo enim per hoc sacramentum regeneratur homo, & a demonis potestate ad Deum cultum & amicitiam eradicatur, & ab infidelitate ad fidem, in Ecclesiae gremium recipitur: oportet ergo, ut prius instruat & disponatur: ad hunc ergo finem maxima pars harum ceremoniarum ordinatur, ut de Catechismo docet D. Th. statim a. 1. de quo ibi plura asseremus. Secundo, oportuit non solum doctrina & verbis, sed etiam rebus ipsis, & actionibus significari mysteria, quae in baptismo continentur, vel propter ipsum baptizatum, (si sit adultus) vel saltem propter alios fideles, qui sensibilibus signis indigent, quibus excitentur ad intelligenda supernaturalia mysteria, ut ea possint facilius memoria retinere: hac ergo de causa adhibita sunt multae ceremoniae propter significationem, ut docet Aug. 1. li. de peccat. meriti, & remiss. c. 26. & alijs locis, quae in dicta disp. 17. citantur, & in sequentibus. omnia haec signa breuiter exponemus. Tertio, nulla ex his ceremoniis creduntur exhibita propter efficaciam alicuius spiritualis effectus, qui duplex excogitari potest, scilicet ablatio alicuius mali, seu impedimentum, quae vel sacramentum, vel effectum eius impedire possunt: vel collatio, seu impetratio alicuius boni. Propter priorem effectum censetur institutus exorcismus, de quo D. Th. arti. 2. quamuis Alethiodorens. lib. 4. Summae tracta. 3. c. 1. q. 1. censet solum adhiberi propter significationem, praefertim in baptismo infantium. Alij vero tantum censent effectum eius efficaciam, ut mitigat poenam peccati originalis debitam, si forte, qui exorcizatur, ante susceptum baptismum moriatur. Sed hoc valde frivolum est: tum quia reatus poenae non minuitur, si culpa eadem semper maneat: tum etiam, quia poena originali peccato debita minima est, & suo modo indissolubilis. Si quam ergo efficaciam habent haec ceremoniae in liberando a malo, solum est, quod ad coercendam demonis potestatem circa hominem baptizandum. Et hoc sensu dicitur demon ab illo expelli: non quia semper ante baptismum homo sit obsessus a demone: sed quia ratione originalis peccati quodammodo est eius potestati traditus, & ampliore facultate, seu licentia accepit, hominem affligendi ac tenendi: haec igitur eius potestas arceatur, atque impeditur, per exorcismum, ne vlla ratione noceat homini baptizandi, eumque a sacramento suscipiendo impediatur: qui effectus fortasse non obtinetur solum pro eo tempore, quo datur baptismus, sed etiam in futurum. Alter effectus, quasi positivus per collationem alicuius boni, difficilius explicatur: docet tamen hunc effectum D. Th. hic art. 3. ad 4. vbi ait, Inunctio, quae fit in vertice, operatur conservationem gratiae baptismalis, vbi Caieta. ait, posse hoc intelligi, vel per remotionem impedimenti tentantis demonis, vel per exortationem alicuius boni motus, sed prior effectus magis pertinet ad exorcismum: posterior vero, neq. in parvulis locum habet, neq. in adultis videtur posse sufficienti fundamento affirmari, ut Durand. Paludan. & alij Scholastici notarunt: quapropter incertus satis est huius effectus. Sed oportet recolere, quod supra de sacramentis in genere diximus, hanc efficaciam non esse proprie ex opere operato, neque ex solo merito operantis, vel ministris, vel hominis baptizandi, vel aliorum assistentium, sed fundari in impetratione totius Ecclesiae, cuius nomine & autoritate haec omnia fiunt: fieri ergo potest, ut si Ecclesia impetrat per haec sacramentalia, ut Deus coerceat demonis potestatem, ita etiam impetret bonum animae motum ad resistendum illi, & gratiam conseruandam: qui motus, vel statim detur, si homo fuerit capax; & illo indigeat, vel postea tempore opportuno: atq. tunc poterit hic ef-

*Redditur
quod dicitur
ratio cere-
moniarum
baptismi.*

D. Thom.

Aug. 1. li.

*D. Thom.
Alethiodorens.*

D. Thom.

Caieta.

*Durand.
Paludan.*

fectus habere locum in infantibus, ut magis ex his, quae dicemus, in singulis ceremoniis constabit. Quarta causa, seu ratio harum ceremoniarum est, propter decenciam & ornatum tanto sacramento debitum: cum enim hoc sacramentum sit Ecclesiae ianua, & prima solemnis fidei professio, decuit maiori pompa & celebritate fieri. Deinde, quia substantialis ritus huius sacramenti est simplicissimus, & paucissimis rebus, & vulgaribus, ac communibus perficitur: quia ita fieri oportuit propter eius necessitatem: ut ergo maiori reuerentia tractaretur, & ne apud rudiores homines vilesceret, oportuit debito ceremoniarum cultu celebrari.

Ad haereticos ergo nihil est, quod respondeamus: quia nihil obicitur, quod ratione vel autoritate nitatur: negatur enim, hunc ceremoniarum ornatum esse, vel nimis onerosum, vel inutilem: neque enim tanta est rituum multitudo, quin possit facile obseruari ab Ecclesiae ministris, quos oportet in huiusmodi rebus satis esse instructos. Quae vero in his rebus sit utilitas iam explicatum est, magisque ex dicendis constabit: vbi singulas ceremonias a calumnijs haereticorum vindicabimus. Nec quidquam valet argumentum sumptum ex initio Ecclesiae, quando coepit baptisimus ministrari: quia tunc Ecclesia non erat satis fundata: & aliunde non erat tanta necessitas propter spiritus abundantiam: de qua re legi potest egregius locus apud Ambrosium circa id ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam qui dem Apostolos, &c. Quamquam etiam tunc non omnino defuerit huiusmodi ceremoniarum, sed a principio aliqua obseruatae sunt, saltem quoad substantiam earum, ut sunt illae, quae pertinent ad catechismum, seu instructionem baptizandorum; reliquae vero paulo post institutae sunt, vel a Apostolorum tempore, vel prope illud, ut ex antiquissima traditione constat, quam praedicta disputatione 15. tetigimus, & in sequentibus copiosius indicabimus.

SECTIO II.

Quinam sint, quae antequam ritus in baptismo solemniter obseruandi.

Ritus omnes, seu ceremoniae, quas in solemnibus baptismis obseruat Ecclesia, conuenienti ordine distinguuntur iuxta numerum circumstantiarum, quae a Philosophis moralibus tradi solent, quae sunt: quis, quid, circa quid, quibus auxilijs, quomodo, vbi, quando: omitto circumstantiam, propter quod: nam haec, non tam pertinet ad ipsum opus externum, quod debitis circumstantiis vestiri debet, quam ad interiorem voluntatem, seu rationem operandi. In his circumstantiis omnibus occurrit aliquid de ceremoniis baptismi considerandum, & ideo per singulas breuiter discurremus.

Primo ergo, a notioribus, & facilioribus incipiendo, circa temporis circumstantiam fuit olim ab Ecclesia statutum, ut baptismus duobus tantum annis diebus, sabbatho scilicet Paschae, & Pentecostes celebraretur, nisi hoc necessitatem vrgentem: nam in casu necessitatis nulla vnquam fuit, nec prudenter esse potuisset vlla temporis limitatio determinata. Hanc veterem consuetudinem obseruauit D. Thomas supra quaest. 66. art. 10. quem in hunc locum explicandum remissimus: & colligitur ex antiquissimis decretis, quae leguntur apud Gratianum, de Consecrat. dist. 4. cap. Baptizandi, ex Gelasio Papa in epistola ad Episcopos Lucaniae, cap. 12. & ex Concilio Parisiensi, c. 7. & in ca. de Catechumenis ex Concilio Gerundensi, cap. 4. & cap. Duo tempora, & c. Si quis, ex Leone Papa, epistola 4. vbi hoc grauissimum praecipitur: atque idem habet in epistola 68. Item in cap. Non ratione, ex Syricio Papa in epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum: alia decreta refert Burchardus lib. 4. sui decreti, cap. 3. 6. & 7. ex Victore Papa, epistola ad Alexandrinos, & Concilio apud Compendium, cap. 3. & ex Concilio Vornatiensi, cap. 10. Eius-

*Quamvis
sacerdos
circumstantiam
baptismi*

D. Thom.

*Gratianus
Gelasio
Cone. Parisi.
Concil. Gerundensi.
Leo Papa*

*Syrrus
Burchardus
Victor Papa
Ch. Vorn.
Eius-*